ab humano genere alienis, ut quæcunque homines vel manibus attrectaverint, vel halitu afflaverint, abhorrerent. Quæ Sylva sive Saltus, olim longe lateque diffusa, multis flexuosis anfractibus invia, proceris arboribus opaca, antrisque umbrosis ac latibulis, formidolosa fuit: ita *Romanis* Scriptoribus celebrata, ut pro *Britannia* universa, *Caledoniæ* nomen usurparint. Hujus tractus incolæ, novissimi hujus Insulæ colla jugo servitutis, uti in sequenti Historia videbitur, submiserunt.

Ninianum Britannum Australes *Pictos* Christiana fide primum imbuisse, *Theodosio* juniore imperante, & Scriptores produnt, & templum sui nominis in *Gallovidia* testatur. Eodem etiam seculo, *Palladius* à *Cœlestino* Papa missus, & Apostolus *Scotis* destinatus est: cujus reliquiæ, ad *Fordon*, in regiuncula quæ *Mernis* dicitur, ut creditum est, repositæ fuere. Christianam vero religionem in hac ultima provincia ante hoc tempus plantatam fuisse, *Tertullianus* testis est, qui ait *Britannos* fidem amplexos fuisse ultra quam *Romani* armis vel assequi vel persequi potuissent: unde *Petrus* etiam *Clunensis* monachus *Hispanus*, conversionem eorum antiquiorem quam illam Australium *Britannorum* fuisse, confirmat.

Animalia. Quod ad res recentioris memoriæ, & in præsenti observandas attinet, mirandum est quod de pecoris, piscium, & avium abundantia hic degentium vulgo fertur. Boum genus corpore quidem exiguum, sed gregibus & armentis numerosum. Piscium autem tanta copia est, ut alicubi accolæ animi causa, jucundo spectaculo, equites hastis Salmones venentur. Volatilium etiam marinorum quoddam genus, anserum præsertim, quos *Soland-Geese* vocant, sua multitudine (ut ferunt) aeris regionem ita occupant, ut in serenitate Solem ipsum vel adimant vel obscurent: quorum è carne, plumis & oleo, incolis, quibusdam in locis, multum lucri magnusque usus accrescit: è piscibus etiam quos adferunt recentes, de cibo & victu; è ramusculis etiam, quos ad nidos construendos convehunt, de ignis alimento prospectum illis est.

Miranda. Inter hæc, liceat mihi de insignioris notæ duobus lacubus, tanquam de miraculis dicere, *Lomundo* & *Lessa*; quorum hic intensissimis per hyemem frigoribus nunquam glacie consistit sive concrescit: illius autem aquæ sudissimo ac serenissimo cœlo sæviunt maxime. In quo insula quædam fluitans hinc inde movetur, prout ventus spongiosum ipsius corpus & solutum impellit. In *Buchania* etiam, ad *Ratræ* fluvii ripas, fons est, cujus aqua guttatim distillans, in solidos pyramidali forma lapillos vertitur: uti & alius juxta *Edenburgum*, cui innatat bitumen. In *Diva* & *Dono* fluminibus, præter admirabilem *Salmonum* copiam, è piscium genere *Concha* est, *Equinam Concham* vocitant; in qua margaritæ generantur medicis summo in pretio ob salutarem virtutem, quarum nonnullæ adeo perlucidæ sunt, ut bonitate ne selectissimis quidem ab Oriente petitis concedant.

Nec minus admiranda quam quæ de ante memoratis aquis feruntur, sed miseranda magis memoria ingentis illius alluvionis ex repentino *Tai* incremento; qui torrentior solito præcipitem *Bertham* urbeculam cum mœnibus, unaque cunas & tenellum regis *Guilielmi* filiolum in mare abripuit: in quo regius ille infans multique alii mortales perierunt, parumque abfuit, quin ipse rex cum aulicis suis eadem clade sublati essent. Ex hujus oppidi projecto & desolato cadavere, aliud celebrius & commodiore situ, *Perthum* excitavit idem rex, quod posteritas *Ioannis* oppidum appellavit.

Insulæ tam majores quam minores quæ huic *Scotorum* regno & ornamento sunt & parent, censentur Occiduæ illæ (*Hebrides*) *Orcades* etiam & *Shetlandiæ*, numero omnes supra trecentas: quarum incolæ maxima ex parte antiqua *Scotorum* frugalitate & parsimonia utuntur. *Insulæ.*

Quod ad Occiduas * illas attinet, quæ sparsim in *Deucalidonio* mari jacent: antiquitus suo regi paruerunt. Rex ipse suum nihil habuit, verum è publico alebatur: regalis autem authoritas sive potestas lineali successione ad neminem devolvitur. Cui ut præventum sit, cautum lege est, ut regi non detur fœmina propria: sed ut in quacunque commotus fuerit usurariam sumeret. Consimilis huic Lex in aliis etiam *Scotiæ* partibus invaluerat, nimirum ut novarum omnium nuptarum virginitas Dominis Feudi tanquam præda prælibanda cederet. Donec *Malcolmus* rex aliam legem tulit, ut dimidiata merca hoc quicquid est vel damni, vel incommodi redimeretur. Illorum prædictarum insularum regum præcipua sedes fuerat, in *Ila*, *Bunals* & *Iona*, quæ nunc *Columbskill*, quasi *Columbi Cella* dicitur: in qua (ut *Donaldus Munco*, qui has insulas peragravit, refert) tres tumuli sive sepulchra conspiciuntur, suis epitaphiis sive inscriptionibus insignita, Regum *Scotiæ*, *Hiberniæ*, & *Norvegiæ*. **Hebrides.* *Hector Boet. lib. cap. 12.* *A Rege Edwino 3 lata.*

Inter has Occidentales insulas *Hebridas*, *Skie*, *Mula*, *Ila*, & *Arran* maximæ sunt. Omnes illæ quidem, frugibus, sylvis, salmonibus & halecibus: sicut aliæ cuniculis, damis, equis, & ovibus abundantes. Vbi in quibusdam sylvestres sunt, in alii vero Dominos nesciunt. Plebs ipsa humanitatis & religionis omnino expers, vitam potius ut necessitati tantum succurratur degentes, quam ut suarum rerum Domini, quas Deus illis sortito dedit: & tolerabili quodam in otio, ambitionis nescii, illius fruuntur vitæ & commodis & oblectamentis, quæ alii quidam (licet ea non admodum superent) ad præcepta Philosophiæ majore cum labore assequuntur: nam competenti modo citra omnem excessum pasti, quod superest omne ad Dominos suos referunt; quod idem & incolæ *Hirtani* ac *Ronani* factitant. Sed proh dolor, cum nulla inter eos

Anglia.